

Index Summ?
Rome, 1 mai 1615. Bellarmin à l'auteur des Disputationes de forma
Sacramenti Baptismi, Confirmationis etc. 12070
----- 1570

/ Admodum Reverende Pater. Legi Disputationes tuas de forma Sa-
cramenti Baptismi, de forma Sacramenti Confirmationis, et de forma Sa-
cramenti Eucharistiae. Ac de forma quidem Baptismi, non facile mihi
persuadebis, textum Epistolae Nicolai Papae esse corruptum in eo lo-
5 co, ubi dicit, Baptismum ratum esse, si detur in nomine Christi: nam
omnes Codices eodem modo habent: et allegatio S. Ambrosii aperte in-
dicat, Nicolaum idem sensisse, quod Ambrosius sensit: et denique nul-
la est conjectura, quae significet, aliter posse legi. Proinde non
potest corrigi hic locus, si forte corruptus sit, nisi divinando:
10 et frustra de his rebus consuleretur Summus Pontifex, qui nunquam
pateretur locum mutari, nisi auctoritate Codicum, aut certa ratione
constaret, quomodo locus corrigendus esset. Neque ideo cogimur affir-
mare Baptismum in nomine Christi esse validum. Pontifices enim in
epistolis suis, quibus ad consultationes respondent: non semper in-
15 tendunt Decreta fidei condere, sed solum docere, quid ipsi sentiant,
ac praesertim, cum testimonium alicujus Doctoris allegant. Et exem-
pla hujus rei multa producuntur a Melchiore Cano, et ab aliis. De
forma Confirmationis nulli dubium est, nobis esse sequendam eam, quae
traditur ab Eugenio IV in Instructione Armenorum. Sed quod non pos-
20 sit defendi ea, quam habet S. Ambrosius, et qua utebantur Summi Ponti-
fices cum confirmarent juxta ritum Ordinis Romani; non video, quomodo
possit sine temeritate dici: certe enim si ea forma, quae ponitur in
Ordine Romano, et in libris S. Ambrosii, non est vera forma, aut non
est essentialiter integra: sequitur, confirmatos a S. Ambrosio, et a
25 Romanis Pontificibus antiquis non fuisse vere confirmatos. Adde, quod
in Concilio secundo generali Can. 7 ponitur forma Confirmationis in
haec verba: Signaculum doni Spiritus Sancti: et ea forma usa est o-
lim, et nunc utitur Ecclesia Graeca, quando inungit confirmandos: ne-
que verum est, quod tu dicis in ~~xxx~~disputatione de forma Eucharis-
30 tiae 5 circa finem: tam in Ecclesia Graeca, quam in Latina, formam
Confirmationis esse: Signo te signo Crucis, et: Confirmo te chrisma-

/ ate salutis: hoc inquam, non est verum: quia Graeci nunquam ista forma usi sunt, neque hodie utuntur. Neque obstat, quod haec forma habeatur in instructione Armenorum: nam illa instructio data fuit Armenis, quando jam Graeci recesserant a Concilio: Graeci enim recesserunt mense Julio, et illa instructio data est Mense Novembri. De disputatione de forma Eucharistiae non habeo quod dicam: error enim Graecorum a multis refutatus est. Utrum disputationes istae, et aliae, quas paratas habes, proelo mandari debeant; non est meum judicare, sed eorum, ad quos pertinet. De pecuniis accipiendis ab illo opere pio, quod Patruus tuus reliquit: non video, quomodo possit hoc proponi Summo Pontifici, nisi sciamus, quantae sint illae pecuniae, et cui operi bono sint assignatae, an Domui hospitali, an Monasterio, an Ecclesiae, et quibus conditionibus. Et denique de Ferdinando Luren, nihil est quod agam, cum sit provisum per superiores.

15 His valeat Reverentia Vestra mei memor in sanctis precibus suis. Romae die prima Maji 1615.